AD CARDINALITIAM
QVÆSTIO MEDICA, MATVTINIS CONCERTATIONIBVS DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV MAII

MAGISTRO GABRIELE BIARD DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An Febribus oua?

TANTÆNE animis cœlestibus iræ? Totus homo totus morbus est, ex vtero tanquam ex ouo, talis in lucem euolat: Nam ex concursu quatuor primarum qualitatum *fraterno primi maduerunt sanguine muri*, perenni triplicis substantiæ effluuio, & rerum externarum incursu *Iliacos intra muros pugnatur & extra*, in morbos multitudine pene innumerabiles incidit; quòque pars est nobilior, eò plurimis & grauissimis conflictatur morbis. Hinc tricorporem partium principum Geryona (vnde fundi nostri calamitas) velut agmine facto obsidet genus omne morborum. Siquidem hepar tentatur phlegmone, obstructione, scyrrho, hydrope omni & intemperie. Cor syncope, palpitatione, febre, peste. Cerebro nec sua desunt vitia, sed nullum grauius epilepsiâ, in qua inest quid occultum.

HORVM omnium vt communissima, sic periculosissima febris, dum ingressa Ætnam, quæ tela ignea ministrat ad debellandos morborum furores, totum corpus communi incendio deflagrat. Ea calor est præter naturam è corde per arterias in vniuersum corpus effusus: monstrum horrendum, ingens, hydraque crudelius, cum natiui caloris, vitæ Herculis morborum monstra edomantis, elusa face infinita prope capita profert, quorum tria summa præcipuáque sunt, simplex, putrida, & pestilens. At simplicis quasi trina cohors ephæmera, synochus, & hectica, quibus totius corporis ædificium diruitur. Nam in ephemera spiritus incenduntur, in putrida humores corrumpuntur, & in hectica solida corporis substantia labefactatur. Putridæ sua sunt quoque genera, continua, & intermittens, quæ suis speciebus distinguuntur, pro vincentis humoris natura & situ.

SI cum putredine incendióque prehenditur venarum arteriarúmque sanguis, ex quatuor humorum æquabili permistione constitutus est, febrem accendit synochum, si calidior is est, plúsque bilis quàm cæterorum humorum continet, absolutè continuam facit tertianam; cuius si magnum est incendium, febris ardens existit; at verò si pituitosus est sanguis, incensus ac putrescens, febrem profert continuam quotidianam; si melancholicus, quartanam; à cōtinua intermittens tum materia, tum materiæ foco ac situ secernitur: Cuius tres quoque species, Tertiana quæ tertio à bile, in iecore; quartana, quæ quarto die, ab atra, in liene; quotidiana quæ quotidie, à pituita in ventriculo & intestinis vi & ἰδιοσυγκρασίᾳ humoris recurrit.

FEBRIVM omnium signa communia sunt pulsus celer, frequens, & interdum inæqualis, virium languor & imbecillitas cum spontanea corporis grauitate ac dissolutione: calor aut foris acer ac pungens, aut certè intus molestus: in Ephæmera tamen tactu mitis, suauis, & halitu plenus; vrináque substantiâ, colore, sedimento aut nihil, aut minimùm à naturali distans, in synocho aliquantum manifestiora omnia, ad cætera pene gemelli, maximéque facies inflammatione ruboréque suffunditur. Hecticæ vt sunt diuersi gradus, sic diuersis variisque signis internoscuntur. Continuæ & intermittentis sua quoque assidet signorum turba ex putrescente & vincente humore distincta,

MORBVS omnis contrariis depellitur, sanitas similibus conseruatur, his duobus scopis tanquam polis vita nostra voluitur; ille medicamentorum vsu, hæc alimentorum esu perficitur. Plures occidit gula quàm gladius, sic plures morbos proba legitimáque victus ratio sanat. Omnis febricitantium victus humidus frigidúsque habendus est, ex materia leui; cuiusmodi sunt, aqua hordei simplex, aqua mulsa, aut saccharo condita: iuscula lactuca, oxalide, portulaca, buglosso, borragine, vuis acerbis alterata, hordeata, amygdalata: pulli gallinacei, columbini, pisces saxatiles, caro vitulina elixa potiùs quàm assa, ouáque recentia tremula non manu quoque sorbenda, in feruentem aquam sine testa priùs coniecta, reiectis aliis omnibus ouorum præparationibus tanquam noxiis.



Ergo Febribus oua.

Asserebat Ioannes Texier Salmurensis, A. R. S. M. DC. XV.